



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Cap. VI. S. Sturmis acta ex Breuiario maioris Ecclesiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

CAPVT VI.

*S. Sturmii Abbatis primi Fuldensis acta ex
Breviario maioris Ecclesie M.S.*

SANCTVS ac venerandus Archiepiscopus Bonifacius Nori-
scam regionem ingressus; cum populos gentis illius, licet
Christianos, ab antiquis tamen paganorum contagiis ac per-
uersis dogmatibus infectos, salutaribus Christi doctrinis in-
strueret; cœperunt ei certatim nobiles viri in seruitium Domi-
ni nutriendas suas offerre soboles. Inter quas Sturmim nomi-
ne, Noricâ prouinciâ exortum, nobilibus & Christianis paren-
tibus generatum, diuinis legibus suscepit imbuendum. Puer
itaque beatus, psalmis, lectionibusque quamplurimis tenaci
memorię traditis, sacram Christi Scripturam spiritali sensu cœ-
pit intelligere; quatuor Euangeliorum mysteria studiosissimè
addiscere; nouum quoque & vetus Testamentum, in quantum
sufficiebat, in cordis sui thesauro vigilanter recondere. Erat
quippe, vt scriptum est, *meditatio eius in lege Domini, die ac nocte*:
profundus in sensu, sagax in cogitatione, pulcher aspectu, ho-
nestus moribus, vitâ immaculatus, charitate & humilitate con-
spicius. Post non longum verò temporis, omnium voluntate,
omniumque consensu presbyter ordinatus, Christi iugiter in
corpore ferens crucem, Sacerdotij nomen cœpit bonis arti-
bus adornare. Nam sacrę virtutes, per diuina sancti Spiritus
charismata, fiebant ab eo plurimæ: in Dei siquidem nomine
immundorum spirituum habitationem Christianis expulit:
per impositionem manus, & humilem orationem, ægrotos sa-
nauit: & armis spiritualibus perornatus, loricâ iustitię circum-
datus, scuto fidei munitus, gladio verbi Dei accinctus, ad cer-
tamen contra diabolum processit. Cumque vir sanctus annis
tribus presbyteratus sui officium gereret in plebe, cœlesti inspi-
ratione secum cœpit reuoluere, vt aciori se vitâ, & eremi-
squalore constringeret. Huius pię meditationis memoriam,
singulis momentis & horis gerebat in pectore; donec diuinâ
admonitione instructus, viro Dei Bonifacio Archiepiscopo,
quid

*S. Sturmii
educatio,**Studia sacra
& mores exi-
mij,**Presbyteratus,**Miracula,**Monastica
& vita per-
fectioris desi-
derium,**Et cetera*veri
quitate
nes.

V

quid animo gereret, reuelavit. Quo comperto, vir sanctus à Deo hanc inspirationem descendisse, intellexit; confidensque per eius industriam ad effectum posse perducì, quod ipse diu mente conceperat, misit eum, adiunctis aliis nonnullis in siluam, quæ Buchonia dicitur, ad locum videlicet, vbi nunc situm est Fuldense monasterium, vt exstirpatâ nemorum densitate, aliquos Deo famulantes ibi congregaret; quibus & ipse pij patris officio præesse studeret. Venerabilis itaque Sturmus Abbas, anno decimo postquam Fuldense fundauerat cœnobium, & ibidem multos in seruitium Dei coadunauerat, sanctique ac Deo dilecti magistri sui Bonifacij triumphum passionis consummatum esse cognouerat, destinatus à Rege Carolo ad gentem Saxonum iugo fidei subiugandum, modis omnibus curam adhibuit, vt populum Domino non paruam acquireret, instansque oportune, importune, docebat eos, vt idola & simulachra vana derelinquerent, & ecclesias ædificarent. Cuius prædicationis instantiâ dicta gens Saxonum mollita, Domino credit, & à beato viro Christianæ religionis initia sumpsit. Confortatis verò multis in fide, rediens à prædicatione, regressus est in Fuldense cœnobium; gratulatusque suis ad videndum fratribus aduenit; cum quibus quotidie in augmentum spiritualium virtutum semet exercens, in omnibus actibus suis se eis præbuit exemplum.

Atque hæc mihi quidem de S. Sturmionis anteaactæ vitæ memoriâ cognoscere, & è tenebris eruere licuit. Verùm multo maxima ei gratia habenda foret, qui genuinam ipsam vitam, vt à maioribus descripta, vindicaret. Eam certè ante hosce annos in bibliothecâ maioris ecclesiæ superfuisse, titulus & ordo docent, vbi numerus XXXIII. VITAE STORMIS ABB. adscribitur.

CAPVT VII.

*Elogia veterum grauiumq; auctorum
de S. Sturmione relictâ.*

S. LVDGERVS in vitâ B. Gregorij Vitraiectensis Episcopi.

MS. Fuld.

STURMI venerabilis Abbas, vnus ex numero illo electorum Dei, quantum profecerit in eremo sua, post martyrium S. Magistri,
*Bocca-

Quod S. Bonifacio probante explet Fulda.

Saxonum conuersioni dat operam:

Magno animarum lucro.

Virtutum laude suis prælucet.